

illud quod tantopere Eruditorum animos torsit, quando Paulum Hebr. IX: 19. loquentem audiunt Mosen *sanguinem* & *aquam* accepisse, eoque populum adspersisse, cum tamen ipse Moses nullius aquæ mentionem faciat. Si enim Moses ipse refert, se sanguinem posuisse (*בְּאַגְנּוֹת* i. e. in *hydriis* aqua repletis & forsan ibidem repositis, ut vel sacrificantium manus sanguine & adipe conspurcatæ, vel sacrificiorum partes in iis eluerentur,) utique exinde concludere licet sanguinem hunc aquâ mixtum fuisse. Quâ de re tamen infra Cap. IV. fusius agemus.

§. 7.

His positis sine ullâ quoque difficultate manifesta erit *Quodnam discrimen fit inter אֲגָרְטָלִים & כְּפֹרוּם*. differentia inter *כְּפֹרוּם* & *אֲגָרְטָלִים* quæ inter se distinguntur Esdræ I: 9. 10. Vocabulum *אֲגָרְטָל* in Concordantiis Buxtorfianis non occurrit, vix tamen dubito, quin illud *ἄπαξ* ε. *γόμενον* sit. Nominis Hebraici ratio valde obscura est, nisi cum Nachmanide velles deducere ab *אֲגָר* *colligere*, ut sit vas *שָׁאוֹגָרִין בּוֹ אֶת הַרְ* quo colligunt sanguinem. Vid. *Ligtfoot. in Descript. Templi Hieros. Cap. XXXVII. Sect. 4.* Mallem tamen ego per vasa recipiendæ aquæ destinata exponere. Docet etenim illud principio convenientia vocis hujusce cum præcedenti *אֲגָנּוֹת*, quam præcipue *vas balneatorium* seu *hydriam aqua repletam* denotare modo demonstravimus. Prouti enim manifestum est literas נ & ר inter se permutari, idque præcipue propter Euphoniam, cujus hoc in loco causa manifestissima est, cum litera ר cum sequenti ט magis coadunari queat, quam si נ retentum fuisset; ita illud ulterius confirmatur ex lingua Persica in qua *آذَر* labrum seu lacum in quo corpus lavant denotare, ex Castelli Lexico Persico observat *Aug. Pfeifferus in Diffic. loc. Script. Cent. IV. Loc. 66.* cum contra in eadem lingua nunquam vox נ אַנְגֵן eo significatu occurrat. Proinde נ & אֲגָר idem significant, cui posteriori vocem ט additum ob majorem evidentiam existimamus: Licet etenim illa apud Hebreos *rōrem* tantum denotet, non solum tamen vi originis etenim apud Æthiopas & Arabes est *humedare*. Vid. *Majus in Suppl. ad Cocc. Lexicon* & *Castellus in Lex. voce טָלֵל*,

C 2

verum